TRANQUILLITAS VERAE PACIS IN RESURRECTIONE DOMINI ORATIO HABITA 13...

Nicola Origo, Maximilian Limpach, Jacob Frey, Domenico Campiglia, ...

CLEMENTI XI.
PONT. MAX.

NICOLAUS ORIGO
felicitatem.



On effugerem planè audaciæ notam, B*eatissime* P*ater*, *si Orationem hanc meam nullo*


eloquentiæ colore ornatam Tuis oculis ſubjiciendam eſſe putarem. Aut enim nimium mihi tribuerem, non intelligens, quàm exiguum in me ſit ingenium, & quàm mihi curta eruditionis ſupellex: aut oſtenderem, me nullo modo perſpectam habere præſtantiſſimam illam Sapientiam Tuam, quam cum in omni diſciplinarum genere, tum in eloquentiæ laude & Roma, & cæteri, quotquot ſunt cultiores terrarum Orbis Populi, meritò ſuſpiciunt, & admirantur. Cum tamen mihi perhonorificum munus coràm Sanctitate Tua dicendi contigerit; cumque dixerim de Tranquillitate illius Pacis, quam hodiè Chri-

ctus JESUS Discipulis suis, & nobis annunciavit, & quæ, ut explicat Augustinus, Est tranquillitas mentis, serenitas animi, amoris vinculum, & consortium Charitatis, *ad Te jure aliquo hæc qualiscunque Oratio pertinere videbatur, qui in tanta rerum perturbatione tranquillitatem cordis, ac invictæ mentis constantiam exhibes admirandam. Libens itaque, & qua Pontificiæ Majestati omnem omnium concilias amorem benignitate, ejus Pacis sermonem excipe, quâ Ipse omnium maximè frueris, & quam Tibi Mundus dare non potuit. Tantæ autem Virtutis meritum illud planè, quemadmodum*


Serm. de verb. Dom.

vehementer optamus, efficiet, ut incolumis tandiù vivas, donec aliquando universum Christianum Orbem, quod Tibi unicè in votis est, hac ipsa Pace compositum, tantâque felicitate lætantem intuearis.

ORA-



ORATIO.



N On poſſum, quod mente concipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat, Beatissime Pater. Hæc eſt enim dies, quam fecit Dominus: ſancta, atque lætiſſima illa dies, qua, poſtquam à mortuis reſurrexerat, videndum ſe Apoſtolis ſuis, tenendum, perfruendumque conceſſit, ſolitoque Pacis affatu, conturbatos, atque nutantes eorum animos in ſpem erexit, in fide confirmavit, gaudio implevit. Hodie ſtetit in medio eorum, & dixit eis: *Pax vobis*. Ille ſcilicet Pacem enunciat,

D. Auguſt. in ſerm. olim de temp. & poſt in Append. 51. de Paſcha 1. in initio.

D. Jo: Chryſ. in Homil. 5. de Reſurrect.

Luca 24. v. 37.

qui

qui de Virgine naſcens, atque inter homines apparens factus homo, Pacem Angelorum miniſterio annunciavit; qui nimirum appropinquante Paſſionis tempore, quia turbare poterat cor Diſcipulorum, quod è terris eſſet abiturus, Pacem eis largitus eſt, dicens: *Pacem relinquo vobis: Pacem meam do vobis*. Qui denique glorificatum Corpus ſtupentibus clauſtris intromittens, ubi erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum, ſtetit in medio, & dixit eis: *Pax vobis*. Quid verò nobis repetitæ hujus Pacis largitas manifeſtat? Illud profectò, ut Pacem habeat ad Deum, ut ea, quæ Pacis ſunt ſectetur, qui cum Chriſto reſurrexiſſe gloriatur.

Jo:14.verſ.27.

D. Auguſt. in ſer. olim de tēp. 156. & poſt in Append. 54. de Paſch. Dom. in corp.

Jo:20.verſ.18.

D. Joan. Chryſ. ſerm. 84.

Ad Roman. 5. verſ. 1.

Ad eoſdem 14. verſ. 19.

Nemo ſanè gloriari poteſt reſurrexiſſe cum Chriſto, niſi, qui veteri homine cum actibus ſuis depoſito, ac reformatus in melius, toto cordis affectu ea, quæ ſurſum ſunt, quærit, ubi Chriſtus eſt, non quæ ſuper terram. Hoc præcipuum Apo-

Ad Coloſs. 3. verſ. 1.

ſtoli monitum; ut quomod o Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Hoc præclarum Reſurrectionis noſtræ argumentum: ut ſi cum Chriſto conſurreximus, quæ ſurſum ſunt quæramus, ubi Chriſtus eſt, non quæ ſuper terram. Neque enim cum eo reſurrexit, qui adhuc in morte Peccati manet, & adhuc membra ſua exhibet ſervire iniquitati. Reſurrexit enim Chriſtus propter juſtificationem noſtram, & glorificatus eſt reſurgendo, ut nos promoveret ad bona. Quare ſicut Ipſe reſurgens ex mortuis jam non moritur, ſic & nos reſurgere debemus in converſione, ut de cætero non moriamur in tranſgreſſione. Hoc eſt itaque cum Chriſto reſurgere, in ejus ſcilicet dilectione ſemper manere. Qui enim non diligit, non verè reſurgit, ſed manet in morte. Ille autem verè diligit, qui mandata ejus ſervat, ambulans videlicet vocatione, qua vocatus eſt, ſolicitus ſer-

Ad Roman. 6. verſ. 4.

Ad Coloſſen. 3. verſ. 1.

Ad Roman. 6. verſ. 13.

D. Thom. 3. par. q. 53. art. 2. in corp.

D. Bonav. ſer. 5. de Reſurr.

Jo: Epiſt. 1. c. 3. verſ. 15.

Ad Epheſios 4. verſ. 2.

vare

vare unitatem ſpiritus in vinculo Pacis. Fruſtrà igitur Pacem expetunt, fruſtrà Pacem inquirunt, qui Dei mandata non ſervant, qui bellum vitiis non indicunt, qui demum per ſemitas Juſtitiæ non am-
Iſaias 48.v.18. bulant. Nam, ut Iſaias inquit, opus Juſtitiæ Pax; propter quod ait Dominus: Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet, ſicut flumen, Pax tua. Et quidem quæ tranquillitas animi, quæ Pacis ſecuritas excogitari poteſt, ubi animus obſtrepentis conſcientiæ ſtimulis exagitatur, ubi diverſarum eſt pugna paſſionum, ubi inquietus fervet gravium cogitationum
Pſalm.13.v.3. conflictus? Hi revera viam Pacis non cognoverunt. Hi Pacem quærunt, ſed non invenient; unde eos meritò Hiere-
Hierem.6.v.14. mias irridet: Pax Pax, & ubi eſt Pax?
V.Bed. Lucæ 2. in Cat.aurea. Non enim eſt Pax impiis, ſed Pax multa diligentibus Deum. Caveamus igitur ne, dum Pacem quærimus, à via Pacis recedamus. Pax videlicet ibi quærenda, ubi
Pſalm.75.v.3. Chriſtus eſt: in Pace ſiquidem factus eſt

locus

locus ejus. Audite itaque, & intelligite. Quærendus eſt Chriſtus, ut Pax inveniatur; ubi enim Pax, ibi Chriſtus. Quia Ipſe, ut Apoſtolus ait, Ipſe eſt Pax noſtra. Hanc igitur veram, hanc beatiſſimam Pacem amplectamur; ſcientes, quod illam in futuro invenire non poſſumus, niſi eam hic diligentiùs inquiramus. Ad hanc viam Pacis greſſùs noſtros dirigamus. Quod videlicet tunc fit, quando per iter illud actionum pergimus, in quo ab Auctoris noſtri Gratia non diſcordamus: quando eam Pacem ſequimur, quæ de radice Charitatis conſurgit, & quæ Juſtitia, ac Pietate cohoneſtatur. Hæc profectò Chriſti Pax eſt. Hæc illa Pax, quam Ipſe à mortuis reſurgens, tum Apoſtolis ſuis, tum nobis largitus eſt. Quamobrem ſi cum Ipſo conſurreximus, Pacem hanc, quam Mundus dare non poteſt, ſedulò, ac votis omnibus inquiramus. O nos revera beatos, ſi Pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum, exultet in cordibus noſtris!

D. Ambroſius Epiſt. 182. ad Vercellenſes.

Ad Ephcſios 2. verſ. 14.

Caſſiod. ſuper Pſalm. 33. Poſt med. v. 14.

D. Greg. Homil. Lucæ 1. in Cat. aurea.

Cæſar. Arelat. Hom. 119. propè med.

S. Iſidor. Peluſiota Epiſt. 146. ad Petrum.

Ad Philipp. 4. verſ. 7.

ſtris! Hinc enim fiet, ut Reſurrectionis
Ad Coloſſen. 3. verſ. 15. ejus participes effecti, tandem apparea-
mus cum Ipſo in Gloria, ubi ſedebit Po-
Iſaiæ 32. v. 18. pulus in pulchritudine Pacis.

